This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600053769-

41.1331.

CONJECTURAE

ANIMADVERSIONESQUE CRITICAE

ETC.

OPERA HENRICI ALANI *LITERARIA*

JAM EDITA SUNT:—

I.

DOCTRINA COPULARUM LINGUAE LATINAE, sive de Vi atque Usu elegantiori Particularum *AC, ATQUE, ET, -QUE,* Commentarius. 12. *Londini,* 1830.

II.

C. SALLUSTII CRISPI de Catilinae Conjuratione deque Bello Jugurthino libri. Codd. scriptis simul impressisque quadraginta amplius collatis recensuit, *etc.* 12. *Ibid.* 1832.

III.

M. TULLII CICERONIS de Natura Deorum libri tres. Codicibus Musei Britannici collatis sex, recensuit, *etc.* 12. *Ibid.* 1836.

IV.

——————— de Divinatione libri duo; ejusdem liber de Fato. Cum codicibus Harleianis contulit atque emendavit—. 12. *Ibid.* 1839.

CONJECTURAE

ANIMADVERSIONESQUE CRITICAE

IN

M. CORNELII FRONTONIS

ET

M. AURELII IMPERATORIS

RELIQUIAS

A

V. C. *ANGELO MAIO*,

ANNO MDCCCXXIII. ROMAE EDITAS AUCTIORES.

SCRIPSIT

HENR. ALANUS, *A. B.*

DUBLINII:

APUD GUILELM. CURRY ET SOCIUM.

LONDINI APUD LONGMAN ET SOCIOS.

LIPSIAE APUD WEIDMANNOS.

MDCCCXLI.

DUBLINII:

TYPIS GRAISBERRY ET GILL.

PREFATIO.

LEGENTI mihi anno proxime superiori alteram ipsius Maii, V. C., editionem *Frontonis*, quae grandi cum accessione e codice Vaticano ducta anno 1823. Romae prodiit, qualescumque hae ultro obortae sunt conjecturae. Quibus sic nullo negotio effusis, ne forte actum egissem, (sicut etiam olim aliquando in editione Mediolanensi multa emendaveram, quae postea cognovi editores Berolinenses praecepisse,) etiam *C. Chr. G. Kessleri* opusculum Frontonianum (*Lipsiae*, 1829.) arcessendum curavi. At ecce, comperi virum doctum non modo nihil ex meis occupasse, sed editionem illam Romanam tanto ampliorem ne fando quidem auditam habuisse!

Nihil addo: valeant haec, quantum possunt. Ad Ciceronem redeo; cujus *Officiorum* libros continuo exspecta.

DUBLINII, *Idib. Novembr.* MDCCCLI.

HENRICI ALANI

IN FRONTONEM

CONJECTURAE.

Pag. 1. *Ed. Rom.* 1823. "Quid ego ista mea fortuna satis dixerim, vel quomodo istam necessitatem meam durissimam condigne incusavero, quae —?"

Quid ego ista mea fortuna satis dixerim?] An excidit *in* ante *ista?* Deinde pro *satis* legendum *fatis* arbitror, sicuti etiam pergit Aurelius necessitatem incusare.

P. 2. "Ipsum denique illum pedem, quantum sine incommodo fieri posset, adtrectare sensim, in balneo fovere, ingredienti manum subicere."

adtrectare sensim.] An pro *sensim* scr. *sedentis?*

Ibid. "Et tu me amicum vocas, qui non abruptis domibus cursu m . . . pervolo?"

abruptis domibus cursum . . .] An *abruptis dominantibus curis meis jam pervolo?* Nisi malis *domi tenentibus*, vel etiam *domi instantibus.*

Ibid. "Cura, miserere, omni temperantia *etc.*"

miserere.] Conf. infra p. 103., 104., 117.; ne forte cum Heindorfio corruptam hanc vocem arbitreris.

Ibid. "Vale, mi Fronto jucundissime. Quamquam ita me dis potius dicere oportet; nam tu quidem semper aves."

nam tu quidem semper aves.] Cod. *semper es*, recte, sc. valens; hoc est, opinor, semper dicis sive vis ostendere te valere: quippe supra—"Nam tu quidem me omni modo connisus es jocularibus istis tuis ac lepidissimis verbis a cura amovere, atque te omnia ista aequo animo perpeti posse ostendere."

P. 3. "O me beatum! ort . . . commendatum."

ort . . . commendatum.] Supplendum opinor *ortu nullo commendatum;* vel *ortu quo* cum interrogatione.

Ibid. "Nescio quid aut quemadmodum rescribam tibi. Quid enim ego possum jucundius, quid blandius, quid amantius? Scribsisti mihi . . ."

Scribsisti mihi . . .] Sic suppleo: *Scripsisti mihi tu nimis*, sc. jucunda, blanda, amantia. Bene conveniunt quae sequuntur.

P. 4. "Ne cotidianis quidem istis officiis circa te praeter ceteros fungitur: et immo . . . vel istis infrequens."

et immo . . . vel istis infrequens.] An *et immoratur?*

Ibid. "Amorem ego illum intellego —. Baiarum ego calidos specus malo quam istas fornaculas balnearum, in quibus ignis cum sumptu atque fumo accenditur, brevique restinguitur."

Baiarum ego calidos specus malo quam —.] Cod. *B. e.*

calidos specus magis quam, recte, sc. *intelligo*, hoc est, eo nomine dignos judico.

P. 6. "Accipe nunc [perpaucu]la contra somnum *ad tua* pro somno."

ad tua *pro somno.*] Voculas *ad tua* supplet Maius de suo et ibi (opinor) ubi nullam habet Codex lacunam. An scribendum *contra somnum* πρόσωπον? vel etiam Latinis literis *prosopon*, sicuti Graeca multa alibi in his Latine scribuntur, (ut mox *epichiremate*, et p. 48. *prothymia*, p. 51. *kharites*, alia) ex quo, non valde mirum foret, si effecisset librarius *pro sōpno;* ita enim saepe (cum *p*) *sompnum* scribebant. Pergit autem Aurelius infra προσωποποιΐαν persequi.

P. 9. "Haec satis tui amore potius quam meae fiduciae luserim."

quam meae fiduciae.] Num potius dicas, inquit Maius, *mea fiducia?* Immo vero ex *amore* (amoris gratia) adsume *gratia:* conf. *Dict. Cretens.* i. 9., "Sed utrum immodico *amore* Alexandri, an *poenarum*, quas ob desertam domum a conjuge metuebat, ita sibi consulere maluerit, parum constabat."

P. 11. "Perge, ut libet; dummodo dii te mihi sive prodormias sive pervigiles . . . [prot]egant."

Suppleri potest, *diu noctu semper protegant.*

Eadem. [Hoc nego] magisve nego inpudens, qui umquam quicquam meorum scriptorum tanto ingenio, tanto judicio, legendum committo."

Fortasse fuit: *Hoc non ego impudenter facio, quod . . .? Magisve ego impudens, quî — committo.*

P. 13. "Namque in dies plus amando efficis, ne, quod ante diem amaveris, plurimum fuerit."

ante diem.] I. e. ante quemque diem, sive priore quoque die.

P. 15. "Nam pleraque propria venustate carentia gratiam sibi alienam mutuant. Qui orationem spreverit, litteras concupiscet; qui scripta contempserit, scribtorem reverebitur. Ut si simiam aut volpem appelles . . . tet bestiae . . . pretium adderet."

ut si s. aut v. appelles . . . tet bestiae . . . pretium adderet.] Repono: *Ut si simiam aut volpem Apelles* pinge*ret*, *bestiae* sordidae *pretium adderet.*

P. 17. "Idem filia postulabit, nepos, abnepos, frater, consobrinus, patruus, avunculus, amita, matertera; omnia necessitudinum nomina hoc privilegium invadent."

omnia necessitudinum nomina.] Conf. *Cic. ad Fam.* vii. 5. 3., "Huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque *ullius beneficii certum nomen* peto;" et x. 6. 3., "Sin aliter, tum in istis amplissimis *nominibus honorum* . . dignitas nulla erit." Adde illud veteris Poëtae apud eumdem *de Rep.* i. 18. 30., "Quum Capra aut Nepa aut exoritur *nomen aliquod beluae.*"

P. 19. "Olim testamenta ex deorum munitissimis aedibus proferebantur, — : at jam testamenta pro[pe] ru . . . navigarint inter onera mercium et sarcinas remigum."

at jam t. pro . . . ru . . .] Supplet Heindorf. *protrusa in mare.* Potius, opinor, in aliquod naviculae nomen.

P. 22. " Nolo quicquam dicere, *nisi* te —. Ac tamen nequeo quin dicam."

Videtur ista particula *nisi* esse praeter rem a Maio suppleta.

P. 34. " Vestem quoque lanarum mollitia delicatam malo, quam —."

delicatam.] Potius *delicata*, opinor.

P. 35. " Deorum et tua virtute — adsecutus es."

Cf. *Plaut. Mil.* iii. 1. 82., " *Deûm virtute*, ut transeuntem hospitio accipiam, apud me est comitas."

P. 37. " Quid est, Domine ? Certe hilaris es, certe bene vales, omnium rerum certe sanus es. Male dum similiter ne umquam nos perturbes, ut natali tuo perturbasti, cetera minus laboro."

Male dum.] An? *Macte! Dum* —.

P. 51. Ep. VII. " Ego ab hora quarta et dimidia in hanc horam scripsi."

in hanc horam.] Cod. *oram.* An *octavam?*

P. 56. " Sed enim quid me fiet."

quid me fiet?] Ita omissa praepositione aliquoties etiam Cicero.

P. 68. " Ita existimo : omnia, quae ad causam, quam tu egeris, adtinent, plane proferunda."

quam tu egeris.] Cod. *quam tu eris.* Mirum est, V. C. non vidisse scribendum esse *quam tueris.* — Mox legendum arbitror *negotio invito*, h. e. praeter rem sive extra causam.

P. 69. " Nona te socium et optionem mihi sumo."

optionem.] Cf. *Plaut. Asin.* i. 1. 88., " Tibi *optionem* sumito Leonidam;" i. e. adjutorem. Sed fortasse scribendum *In nona* —.

P. 71. "De quibus plerumque audisti cum Θεοδώρου locos ἐπιχειρήματα tum tractaremus."

Aut transponendae inter se particulae *cum* — *tum*, opinor, aut scribendum *una tractaremus.*

P. 73. " Rogo, corpus cura, ut, quum venero, videam te."

An excidit *valentem ?*

P. 74. " Quodcumque ausus fueris, cum isto ingenio perficies."

Distingue potius: *Quodcumque ausus fueris cum isto ingenio, perficies.*

Ibid. "De . . . in me re . . . bula d . . . perfecte absolveris."

Sic suppleo: De *hexametris faciendis* in me re*cipio voca*bula d*uriora notare si minus* perfecte absolveris.

P. 75. "Et . . . olunt captiosum dictum opinatus captionem post tempus ac neget . . . "

Fortasse restituendum: *inv*olvunt captiosum dictum, opinatus captionem post tempus ac neg*otio confecto expediendam.*

Ibidem continuo. ". . . sen . . . tua . . . a tantum . . . errore quantum . . . atius u . . . confestim ipsam . . . am ostendunt sine fraude et inventis verbis."

Ad sensum sic, opinor, prope accedas, aliquatenus fortasse etiam ad verba: *Res minus ex* sen*tentia* tua *cessere? negant falsa oracula* tantum *respondentis* errore, quantum *interpretis inscitia. Fortun*atius v*ero quid evenit?* confestim ipsam *illam suam fuisse sententi*am ostendunt —.

Ibid. "Itaque haberem et tibi gratias agerem sive . . . simul et audire verum me doces."

Eatenus certe supplere licet :— *quod dicere* simul et audire —. Pro *sive* autem arbitror *sine* legendum.

P. 77. "Quin, si opus sit, meo gravissimo labore atque negotio tuum levissimum otium redimam."

tuum leviss. otium.] Cod. *et otium :* ergo fortasse scribendum *et otium et negotium.*

P. 79. "At ego sine istis artibus omnem orationem absurdam et agrestem et incognitam, denique inertem atque inutilem puto."

incognitam.] Legere jubet Maius *inconditam.* Recte : et sic scribendum *conditor* etiam infra p. 229. pro *cognitor*, id quod etiam monuit Heindorfius.

P. 81. "Num tu ordinatior perfectior jam in eloquentia esse debueris, sed ingenio tuo vel desidia vel indiligentia claudat."

ingenio . . . claudat.] I. e. claudicet: conf. p. 106. 239. 243.

P. 83. "Quid ego de tuis litteris dicam benignissimis, verissimis, amicissimis? verissimis tamen usque ad primam partem libelli sui."

usque ad primam p.] I. e., arbitror, eatenus, quantum ad p. p. attinet.

P. 93. "Quaeso, igitur, si quod verbum absurdius, aut inconsultior sensus, aut infirmior littera istic erit, id tempori adponas."

aut infirmior littera.] An *informior?* quamquam potuit festinantis manus etiam parum firma fuisse.

id tempori adponas.] I. e. tempori breviori, temporis angustiis. Cf. *Sallust. Jug.* 94., "Ea (scuta) Numidica ex coriis *ponderis* gratia;" nimirum levioris.

P. 94. "Philosophiae quoque disciplinas aiunt satius esse numquam attigisse, quam primoribus, ut dicitur, labiis delibasse!"

primoribus . . . labiis.] Apud Ciceronem fere in hoc proverbio legitur *labris.*

P. 99. "Potest aestus per vestis intervalla depelli, potest degi, potest demeare, . . . omnia denique potius potest, quam posse suspendi; quod verbum suspendi sustineri, non per laxamenta deduci, significat."

q. p. suspendi, q. v. suspendi.] Scripsit, quod plane otiosum, hoc alterum *suspendi* Maius pro eo quod habet Codex *super nequit,* quam etiam prodigiosam corruptionem vocat infra p. 124., neque immerito, si quidem ex verbo *suspendi* orta est. An scribendum *super necti?* Quippe si librarius *necit* pro *necti* sibi legere visus esset, nullum plane negotium erat *qu* pro *c* reponere.

P. 105. "Sed quae tua et mea meteoria est? neque tu me admonebis, neque ego tibi narrabo."

Mallem sic: *Sed, quae tua et mea meteoria est, neque tu—;* i. e. pro ea, quae tua et mea est meteoria. Supra p. 38., "Epistolam matri tuae scripsi, *quae* mea impudentia est, Graece." Vide *Perizon.* ad *Sanctii Minerv.* ii. 9. 5.

P. 107. "Igitur amor cum desiderio auctus est."

cum d. auctus est.] Scribe *cum d. junctus est.* Supra: "Est igitur vera Socrati opinio, doloribus ferme voluptates *connexas* esse."

P. 113. "Scribam autem alterutram partem: nam eadem de re deiversa tueri, numquam prorsus ita dormiet Aristo, uti permittat."

Conferendum monet Maius lib. v. 27.; sed nihil ego ibi reperio, quod huc faciat.

P. 118. "Vel fumum, inquit, patriae, Caius poëta."

Quisquis fuit ille, Homerum, opinor, respexit, *Odyss.* A. 58.,

> Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι
> Ἧς γαίης.

P. 124. "Ἀπίθανος ὑπόθεσις videtur mihi, quod plane baluceis, qualem petieram."

quod plane baluceis.] An *quod plane* ἀμβλὺς εἶς? Quippe hebetem magistrum fuisse ad intelligendum, qualem vellet materiam, significat etiam Epist. 28.

P. 125. "Ego adeo perscripsi; et mitte aliud quod scribam."

et mitte aliud.] Cod. *ut.* Scribe *tu.*

P. 127. "Quae pro me precatus es, scio te precatum."

Utrum post *scio* excidit *ex animo* an *ex mente* post *te?*

P. 132. Ep. XLI. "Iterum deis ago gratias, lectis litteris tuis, quae me rursum quasi renovant, cum commemorares, quo in loco fueris, consternarunt."

Videtur aliquid excidisse. An scribendum? renovant, cum *proxime priores tuae, in quibus* commemorares, quo in loco fueris, consternarint.

P. 137. Ep. LV. extr. "Confido salubriter sponte provenisse alvum tibi verno tempore, quom alii consulto movent et machinantur."

Non spreverim ego, quod habet Codex *aliid* pro *alii id.*

P. 144. "Fieri etiam vos cotidie facundiores video."

Cod. a pr. m. *facundioreis:* vide praef. nostr. ad *Cic. de N. D.* p. viii.; adde *majoris . . . asperioris* in cod. Erlang. apud *Cic. de Fin.* i. 10. 33., *superioris* in cod. meo *de Off.* iii. 30. 109.

P. 146. "Et —— tenuisse iter, atque —— praetervehi."

Non video, haec unde pendeant, nisi mutata distinctione ad *vides* supra referas.

P. 148. "Omnes medelae fovendi infantium faucibus in lacte sunt sitae."

Pro *omnes* habet Cod. *omnis.* Similia etiam alibi attulit Maius, ut (apud Asconium) *Cic. pro Plancio.* 14. 33., *legationis,*

et *Symmach. pro Patre.* c. 6., *moris.* Vid. *Mueller.* ad *Varron. de L. L.* v. 3. 5., viii. 37. 66. Pro *fovendi* autem frustra vult Maius *fovendis:* cf. inf. p. 294. *communicandi,* ubi ipsum Maium vide.

P. 150. "Nihilo minus volunt dici."

Scribendum opinor aut *nihilo magis* aut *nihil eo minus.*

P. 159. "...ratum atque expeditum sit, mi magister, quam tua clemens in officiis adversum te nostris interpretatio."

Suppleo: *Re cognitum habeo, quam nihil tam paratum* atque expeditum—. Continuo legendum *Scribe* arbitror pro *Scribo.*

P. 160. "Id uti suppleas, deos oro."

deos oro.] Quum primum legi, malebam potius *te obsecro.* Nunc intelligo, ut posset istud Fronto supplere, deos Antonino orandos fuisse.

P. 176. "Arcem munitam et invictam et inexpugnabilem, quae in fratris tui pectore sita est, ad nomen Armeniaci, quod recusaverat sumendum, quis alius quam tu——adortus es?"

ad nomen Armeniaci, quod—.] Scribe *adgnomen Armeniaci quod recusaverat sumendum.*

P. 183. "Regnum Persarum equorum non cursu sed hinnitu priore."

Conf. *Justin.* i. 10., *Herodot.* iii. 85.

P. 187. "Nam et delinquere humanum est, et hominis maxime proprium ignoscere—."

ignoscere.] Puta *homini.*

Ibid. "Quidvis enim subire paratus sum, dum a te res nostrae inlustrentur."

Conf. epist. *Ciceronis*, qua res suas conscribendas Lucceio commendat, *ad Fam.* v. 12.

P. 188. "In summa meae res gestae tantae sunt, quantae sunt scilicet, quoiquoimodi sunt: tantae autem videbuntur, quantas tu eas videri voles."

Conf. *Sallust. Catil.* 8., "Ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia." Adde *Vopiscum* in *Probo* et Nostrum in *Princip. Hist.* p. 313.

P. 192. Ep. VII. extr. "Quaeras fortasse, quid pro eo . . ."

Puta *te facere oporteat*, sive *velim rogare.*

P. 195. "Certum esse te——, nihil dubito, quantae mihi acerbitatis sit tua omnis vel minima tristitia."

acerbitatis.] Potius *acerbitati.*

P. 196. "Equidem multum fratrem meum objurgavi, cur me non revocavit."

Scribe *revocarit*, vel etiam *revocaverit;* cf. supra c. 67. *prospice* pro *prospicere.*

P. 197. Corrige— *a te appellatus.*

Ibid. "Haec denique culpa est, in qua malim te mihi graviter irasci, quam libenter ignoscere. Irasceris enim, quanto desiderantius desideras. . . . bis si amare desieris."

Irasceris enim.] Sc. tanto magis: vide nos ad *Sallust. Jug.* 31., "Ita *quam* quisque *pessime* fecit, *tam tutus est.*"

. . . *bis si amare desieris.*] Supple: *eo facilius autem veniam da*bis, si amare desieris.

P. 201. "Eum Polycrates anulum nave longa in altum provectus sponte in mare abjecit, unde numquam... emergeret. Tum—."

Unum verbum supplendum esse monet Maius. Id unum ego arbitror esse verbum *putabat.* Ceterum non tam hoc parenthetice accipiendum censuerim, quam legendum *unde numquam putabat emergere:* nam in verbo *emergeret* potuit ultima litera ex insequenti particula *tum* adhaerere. Praesens autem pro futuro jam supra est p. 67., Ep. 4., "Cui rei quemadmodum me unum *putas prospicere?*" Ad rem vero cf. *Cic. de Fin.* v. 30. 92.

P. 202. "Non est exsultandum nimia et diutina prosperitate, nec, si quid malae pugnae acciderit, defetiscendum: sed victoriam brevi spera."

sed victoriam brevi spera.] Abruptior iste imperativus. Adde quod adesse debebat pronomen *tu.* Itaque facile suspicor ego potius infinitivum *sperare* legendum esse, et utique ex sensu prioris structurae adsumendum *oportet;* ut apud *Liv.* xxvi. 32., "Cum tyrannis bellum *gerendum* fuisse, . . . et urbem *recipi,* non *capi,*" sc. oportuisse; adde xxvii. 20.; quomodo saepe etiam δεῖ apud Platonem subaudiendum est.

Ibid. "Legiones nostras saepe *victas cap*tasque—."

Ita lacunam explet Maius, quae pluribus modis expleri potest, ut *fusas fugatasque* (de qua formula vide nos ad *Sallust. Jug.* 79.), *caesas stratasque.*

Ibid. "Quamvis . . . fruges tauri subigi jungendo domarique potuere."

Lego: *Quamvis enim truces tauri—.*

P. 203. "Si eorum linguas resecari imperasset, navem onustam linguis hostium Romam inegisset."

Nimirum facete in istud potissimum membrum significat Fronto quodammodo jure potuisse saeviri, utpote in perjuro atque infido genere. Simul invidiose paupertatem ac squalorem hostium significat, quasi dixisset:—quoniam nihil ornamenti habebant, quod detrahere luberet.

Ibid. "C. Caesarem atrocissimo bello Gallico cum alia multa militaria, tum etiam duos de analogia libros scrupulosissimos scripsisse."

cum alia m. militaria.] I. e. quum multa alia scripsisse, nempe commentaria militaria, tum etiam duos de analogia libros. Ergo nota βραχυλογίαν, ne etiam hi analogiae libri istis militaribus videantur adnumerandi: cf. *Cic. de Fato* 1. 1., *de Off.* ii. 9. 31., 18. 61.; adde Madvig. ad *de Fin.* iii. 12. 40. p. 415.

Ibid. "Nec minus ordine inclitus."

inclitus.] Cod. *inscitus.* An *institutus?*

P. 204. "Multa istic reperies praesentibus consiliis

tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum, de . . ."

Supplendum unum verbum monet Maius. Id unum ego arbitror esse *vectigalibus*, vel, si forte id magis sit quam pro lacuna codicis, utique *vectigali:* vide *Cic. pro L. Manil.* 7., *de Orat.* i. 13. 58.

P. 208. "Quae fides perpetuo suo strictae sunt?"

suo strictae.] An *substrictae?*

P. 211. "Agere de finibus duos claros et nobiles Vesperum et Luciferum puta."

duos claros et nobiles.] Videtur Maio quidem emendandum *deos* pro *duos.* At eleganter *duos* dixit Fronto, quasi par clarum et nobile litigatorum dicere vellet.—Infra paulo legendum arbitror *nam se quoque adfinem.*

P. 213. "Martem nocturnas eruptiones et insidias mutare juvare."

mutare juvare.] An *mature? matura re? maturare?* an *ut cum maxime?*

Ibid. "Post id Juppiter alas, non ut Mercurio talares, sed ut Amori umeros exaptos Somno adnexuit."

Scribendum *humeris* jam monuit Niebuhr.: tamen potuit scribi etiam *humero* numero singulari. At miror eumdem non correxisse *exaptas.*

P. 214. "Donat et multa somnia amoena, ut, quo studio quisque devinctus esset, ut—."

Nota particulam *ut* propter tam multa interposita geminatam; sic etiam infra p. 281. Ep. 8.: ne putes quid excidisse.

Ibid. " Sed, oro te, illud quid est quod in fine epistulae manum consuluisse dicis? Illatenus dolueris, mi magister, si me compotem voti *di* boni faciunt."

manum consuluisse.] Cod. *consoluisse,* inquit Maius. Immo fortasse, venia viri clarissimi, cod. *condoluisse,* quod ipsum usu non nimis tritum verbum. Probat illud *Illatenus dolueris,* h. e. non ultra dolor serpat, neque etiam ceteros articulos invadat. *Cic. Tusc.* ii. 22. 52., " Si pes *condoluit,* si dens." Quod vero addidit Maius infra *di,* opinor potuisse dici absolute *Boni.*

P. 217. " At nunc . . . dolor dolore . . . ri multiplicatur.

Posteriorem lacunam sic expleo: dolor dolore *certamine impari* multiplicatur. Supra paulo corrige *meomet dolori.*

P. 218. " Nulla diis, nulla fatis dijudicatio, quali viro filius eripiatur?"

Conf. *Cic. de Nat. Deor.* iii. 33. 82. extr., " Videsne igitur, deorum judicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum." Adde nostra ad c. 32. ibid. Sed olim edidit Maius e codice *Nulla dies,* idque ultro etiam interpretari conatus est: quod quum ego ad *Cic. de N. D.* obiter corrigerem, nondum cognoveram jam Cl. Niebuhrium rem (manifestam sane) occupasse.

Ibid. " Cujus similes quam plurimos gigni optimum publicum fuerit."

optimum publicum.] Contra *Varro de R. R.* i. 13. s. f. et *Liv.* ii. 1. *pessimo publico.*

Ibid. "Mors . . . ad tranquilla nos et amoena et omnibus bonis referta animarumque conciliabula travehit."

animarumque conciliabula.] Recte hanc structuram tuetur Buttmann.: cf. *Cic. de Off.* i. 41. 146., "Si *acres ac diligentes* esse volumus *animadversoresque* vitiorum."

P. 220. "Is eam consolabitur . . . loquendo pariter conticiscendo."

pariter.] Scr. *pariterque:* cf. *Cic. de Div.* ii. 14. 33.

Ibid. "Neque ulla poëtarum carmina aut sapientium praecepta tantum promoverint ad luctum filiae meae sedandum et dolorem leniendum, quantum mariti vox e carissimo pectore et junctissimo profecta."

mariti vox e c. p. et j. prof.] Cod. *m. uxor e c. et pectore j. prof.* Nihil apertius ergo quam scribendum esse *mariti vox ORE carissimo et pectore junctissimo profecta.*

P. 223. "Eorum navem audacter re bona maxime onerat. Nave in altum provecta, cognovit socios, qui veherent, cupidos potiri, necem sibi machinari."

cupidos potiri.] Ita edidit quidem Maius, sed monet idem primum se in schedis dubitanter legisse *auri.* Nempe fuit in Codice, opinor, *on'ri'*, pro *oneris*, et hoc utique reponendum censeo.

P. 227. "Tametsi placita diceret itaque te compellare."

placita.] An? *tametsi ipsa illa ita diceret*, vel *ipsam fac ita dicere.*

P. 239. "Confusam eam ego eloquentiam . . . subvertendam censeo radicitus, immo vero Plautino irato verbo, exradicitus."

Plautino irato verbo.] Non placet Cl. Maii conjectura *irato* pro eo quod habet Codex *trato* vel (quod in ed. principe addidit) *frato.* Scribendum autem censeo *Plautino facto verbo:* vide *Bentleium* ad *Horat. de Arte* v. 52. Quippe satis significat Plautus, ultro se istam vocem tunc primum excudere, *Most.* v. i. 62.,

> "Nam omnia malefacta vestra repperi radicitus,
> Non radicitus quidem hercle, verum etiam *eradicitus.*"

P. 255. "Ego eum qui te non amabit, hostis numero habebo."

hostis numero.] Haesit dubius inter duas loquendi formas, *hostis loco* et *hostium numero.*

P. 259. "Quamobrem, tecum quaeso, ne quid obsit amicitia nobis, quae nihil profuit."

tecum quaeso.] Formulam nisi exemplis firmassent viri docti, scribendum censuissem *te aecum*, h. e. aequum.

P. 275. *Judicibus ipsis.* Cf. *Cic. de Off.* ii. 19. 67.

P. 277. "Sollicitudo animi mea . . . multis eum verbis commendare."

Supple *volt* vel *fert.*

Ibid. continuo. "Sed fidum amorem nostri spondet

. . . quid postulem, orationem vobis unum meum verbum visum iri."

Supplendum opinor: spondet *animus meus, et, si* quid postulem, —.

P. 279. " Huic tantum honorem haberi a te velim, quantum tuo *ipsius* contubernali consiliarioque . . . postulares . . ."

Suppleo: consiliarioque *intimo* postulares *haberi ab omnibus te colentibus.*

P. 286. " Figurae orationis sunt, quae maxime orationem ornant."

Cf. *Cic. Brut.* 37. 141.

P. 289. " Ut aestimes, nostrum mediocre ingenium quantum ab illo eximiae eloquentiae viro abfuat."

Nostr. m. ingenium q. ab illo . . . viro abf.] I. e. quantum nostrum ingenium ab ingenio illius viri. Vide nos ad *Cic. de Nat. Deor.* i. 5. 10. et (mox) ad *de Off.* i. 22. 76.

P. 294. " Neque enim cum alio ullo tanta mihi familiaritas est, aut tantus usus studiorum bonarumque artium communicandi."

communicandi.] Exemplo Ciceroniano a Maio allato adde *Tusc.* v. 25. 70., " Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum studium incendit illius aeternitatis *imitandi;*" ubi vid. Cl. Moserus.

P. 305. " Aequiusne est arboribus honori adque tutelae poma et bacas esse, quam hominibus liberos nepotesque . . . ?"

Addiderim *praesidio.*

Ibid. "Esse quam videri bonus maluit."

Conf. *Sallust. Catil.* c. 54. extr.

Ibid. "Neque quisquam bonas artes magno opere studet adipisci, quas adeptus necne sit, non studet scire . . ."

Puta *eos quibuscum vivit.*

P. 309. "Id populo quoque . . ."

An *postulo?* inquit Maius. Non placet. Credo secutum esse *persuasum* vel aliquid tale.

P. 314. "Nam illa, quae Alexandri comites familiaresque tenuerunt, praefecturae magis, quam imperia, appellandae."

appellandae.] Operae pretium censeo fore denuo hoc in loco codicem inspicere, si forte *appellanda* potius in eo exstet, ceterum non *illa* ego quidem, sed *imperia* respiciens.

P. 319. "Vinum loci, aquam temporis bibere.

I. e. vinum, quod regio ipsa praebebat, non utique advectitium bibere, aquam pro tempore, vel ex fontibus vel fluvialem vel etiam pluvialem.

P. 321. "Namque talium facinorum causa facti latet, factum spectatur."

I. e. in talibus facinoribus. De usu genitivi vide nos ad *Cic. de Nat. Deor.* iii. 35.

P. 322. "Sicut arborum altissimas vehementius

ventis quati videmus, ita virtutes maximas invidia criminosius incessit."

altissimas vehementius.] Nota comparativum cum superlativo junctum. Ego ad βραχυλογίαν refero sic: Sicut arborum altissimas vehementissime ventis quati videmus, et quidem quanto altiores, tanto vehementius.

P. 326. "Item . . . (inserenda) non inficete conficta mendacia, dum id mendacium argumento aliquo lepido juvetur.

mendacia, dum id mendacium —.] Nota enallagen numeri: cf. *Sallust. Catil.* 56. 5., *Cic. ad Fam.* vi. 12. 2., *de Fin.* ii. 19. 61., *de Div.* i. 33. 72.

EXPLICIUNT.

INDEX.

Accusativus plur. tertiae declinationis in *-eis*, 16.
Alius in brachylogia quadam, 20.
Ante diem, 10.
Apelles, pictor, 10.
Attractio (?) 26.
Βραχυλογία, 20, 25, 27.
CICERO, 11, 14; *de Orat.*, 21; *Brut.*, 25; *pro L. Manil.*, 21; *pro Planc.*, 16; *ad Fam.*, 10, 18, 27; *de Fin.*, 16, 19, 20, 27; *Tusc.*, 22, 25; *de Rep.*, 10; *de Nat. Deor.*, 16, 22, 25, 26; *de Div.*, 23, 27; *de Fato*, 20; *de Off.*, 16, 20, 23, 24, 25.
Claudere, claudicare, 13.
Comparativus cum superlativo, 27.
Condolere, 22.
Deorum virtute, 11.
DICTYS CRETENSIS, 9.
Duo clari, par clarum, 21.
Duplex structura, 24.
Enallage numeri, 27.
Er syllabae notula omissa, 18, 23.
Eradicitus, 24.
Esse quam videri, 26.
Factum verbum, 24.
Figurae orationis, 25.
Fundere atque fugare, 20.
Genitivi usus, 26 (bis).
Gerundii genitivus arctius nomini adhaerens, 17, 25.
Graeca vocabula Latine scripta, 9, 15.
Gratiâ per synesin adsumendum, 9.
HERODOTUS, 17.
HOMERUS, 15.
HORATIUS, 24.
Illatenus, 22.
Infirmior litera, 14.
JUSTINUS, 17.
Labiis primoribus, 14.
LIVIUS, 19, 23.
Miserere, 7.
Nomina necessitudinum omnia, necessarii omnes, 10.
Nominativus plur. tertiae declinationis in *-is*, 16, 17.
Numero hostis, 24.
Oportet per synesin adsumendum, 19.
Optimum publicum, 23.
Optionem sibi sumere aliquem, 12.
PLATO, 19.
PLAUTUS, 11, 12, 24.
Positivus pro comparativo, 19.
Praesens pro futuro, 19.
Προσωποποιΐα, 9.
Quae mea meteoria est, i. e. pro ea quae —, 15.
Quid (de) *me fiet?* 11.
SALLUSTIUS, 14, 18, 19, 20, 26, 27.
Singularis numerus, 21.
Substantivum et adjectivum componuntur, 23.
SYMMACHUS, 17.
Synesis, 9, 19.
Tecum quaeso, 24.
Tempus, brevitas temporis, 14.
VARRO, 17, 23.
Vectigalia, 21.
Vinum loci bibere, 26.
Virtute deorum, 11.
VOPISCUS, 18.
Usque ad, 14.
Ut propter multa interposita geminatum, 22.